

Lbb. 60.



Ed. 3. Melnyl. 1703.

12.



Hoc in placro continentur.

- 1) Herm. v. d. Hardt, Ephemeris etc.
- 2) Egid: Mosus sive primus fentus de
- 3) — Mosus sicut — und sicut eius. v
- 4) — Recensio parvi libelli Esarid. v
- 5) — libellus Esarid v cap. 18.
- 6) — Holesy antiqua chaldaica Jonathanij Paraphrasij &
- 7) — Israel in Jobo C. VI.
- 8) — Historia Poloni I. v
- 9) — Jaddi Summi iudeorum pontiff: oratio v
- 10) — Oratio de fontem hebreorum interprete Luthero v
- 11) — Programmata ad philolog. Holesa v — georgii micellii oratione 1558.
- 12) — Programmata in Reischium Dissertationes & II. —
- 13) — Programmata in Alben Coram v
- 14) — In tharbarantem. —
- 15) — Chaldaica in Daniele, Esra, Onhelof, Jonathanis. v
- 16) — Aenigmata iudeorum v
- 17) — De juramento per Dea tra Corpam non per femar v
- 18) — De veneranda eruditorum modestia v
- 19) — De novy academiis Jul. Dotilibus.
- 20) — De laudibus Professorum psemation

5a

HERMANNI von der Gardt
Decani
ISRAELIN JOBO
Cap. VI.

ex publica recensione

in Academia Julia

menſe Decembri

A. MDCCXIV.

Formatâ fontium hebraicorum pronuntiacione

accentuum indicio

ex Ciceronis & Quintiliani

inſtitutione.



HELMSTADII,

TYPIS GEORG-WOLFGANGI HAMMII, Acad. Typogr.



Um vergente hoc anno pertexuimus, ex Ciceronis & Quintiliani regulis, pronunciationem Fontium Hebraicorum, accentuum characteribus effigiatam. Momentum interpretationis non postremum, quo absente vox legentis ac interpretantis dat sine mente sonum. Rerum dignitas, & animi intentio, resonant, ubi oris accedit compositi sonus. Quam in recensendis hebraeis fontibus ex oris compositione lucem admirandam, pro oratorum arte, luculenter admodum commendavit R. Jebuda Hallevi, in *Cosri* P. 2. S. 72. p. 134. Cujus filium secuti doctores Judæorum solertiores, longo ordine. Nec miretur imperitus, nos Ciceronis & Quintiliani regulas in hac hebraeorum codicum pronunciatione in accentuum signis spectasse, & ad illarum normam composuisse. Id faciendum esse ipsi Judæorum doctores diserte monuerunt. In quibus R. Jebuda Muscato, in קול יהודי f. ק"ש c. 2. qui ut *Marcum Tullium* ita & *Quintiliani institutiones oratorias*, sine formidine pro canone constituit. Quod si Judæi non reveriti, veritate victi, exteros illos autores, Romanos, eorumque de autorum pronunciatione doctrinam, mensuram ponere retæ & justæ lectionis sacrae, Christiani absonti sint, qui Judæis velint esse imperitiores ac rudiores, interpretum nomine indigni.

Ivimus illâ semita, *præeuntibus oratoribus, Græcis & Romanis*, per varios codices; in accentibus obviis, pro fitus & figurarum variatione, *vocis motum & sonum*, pro sermonis humani indole *decenter attemperando*.

Suis insimul locis submonuimus, *versuum præsentium mensuram*, ad quam accentuum series nunc accommodata, non ubique esse *metam periodorum & plenarum constructionum*. Passim incidere duos, tres, & plures versus, qui unam conficiant periodum. Quod interpretis periti dignoscere. Quomodo versus primum & secundum *Geneseos c. 1. AbenEsra, R. Sal. b. Melch* unâ comprehendunt constructione. Par exemplum subindicavimus *Exod. 1, 21. 22. Evenit cum timerent obstetrices Deum, qui Israëlitarum domos implebat prole, ut præciperet Pharao universis suis subditis, præfektisve, ut filios mergerent undis, filias servarent. Quomodo fatorum, ut & consiliorum atque edictorum ordo conspicuus.*

Per *Psalms, Proverbia & Jobum* commeando, incidimus postremo in *Jobi Cap. VI*. Cujus concisæ recensionis argumentum succinctum hic referre, illis fore gratum confidimus, qui methodi nostræ conscii apud exteros, vel cupidi.

Conquestus erat *Jobus, cap. 3. nomine populi Israëliti, exulis & pene exhausti, cujus personam refert, de exilii, Assyriaci & Babylonici, intolerabili mole, quæ jubeat mortem præferre miseræ vitæ.*

Reprehenderat *Jobum* populumque in exilio querulum, *c. 4. & 5. Eliphaz Temanita, Aremadaiensis, Aramæus, Syrus, in quo Aramææ oppido multi decem tribuum à tempore Salmanassaris hærebant, multis jam annis. Spreverat Jobi populive fracti gemitus, cui exprobraret fatum justum, Jobo & populo dignum. Cognati Judæorum Aramæi,*

mæi, ab ætate Abrahami, Aramæi. *Ex Aramæa* egressus Abraham; *in Aramæam* exules ex Israële reversæ decem tribus, vicissitudine temporum fatali. Domini captivorum Israëliotarum, qui ex primo sanguine fratres & cognati.

Hunc ex cognato *Eliphaso* contemptum, ingenti cum dolore accepit Jobus cum populo. Quare *cap. VI.* illi respondit, *de Aramæorum, Aramadaiensium injuria* amplius questus, dolore suo inmensio commotus. *Apologia contra Eliphasum*, qui querelam exprobrarat. *Utinam*, inquit, v. 2 appenderetur dolor meus! *Et afflictionem meam lancibus attollerent simul!*

וְיָ quod Rabbini plenius וְיָ & integrius וְיָ, ὄφελος est, conciso sono, ex ὄφελον, ὄφελος, ὄφελος, *utinam*. Sicuti Arabum يَأْتِيَنَّ, يَأْتِيَنَّ est يَأْتِيَنَّ ὄφελον *utinam*. לָקַח appendo, appendo; quod lances trahantur, pendendo, expendendo, ponderando: Ab ἔλκω, traho. דַּעַב וְכֹסֶמֶת, dolor, mæror. Neque *ira* hic locus in Jobo, sed *dolori*, quem sentit molestissimum. Græco ἐργὴ *ira* condonanda.

Figura gravis, *in affectibus ponderandis siue æstimandis*. Comparatio orbi universo familiaris, ut *animi motus* comparentur cum *rebus externis*, pro vehementia aut remissione eorum effigianda. Ut res gravis & ponderosa, ita & affectus molestus & onerosus. *Premittit onus libram, affectus animum*. Doloris magnitudinem signat onus in libra. Optat, innotescere dolorem impensum; Non ut sciatur, sed agnoscat. וְיָ פָּתְחָא, *passio, afflictio*. וְיָ פָּתְחָא מִבְּיָנֵינוּ זַנְלָאִים, *lances, bilances, ζάνκλαιν*.

וְיָ אֵיִחָו, *attollo, sustollo*; Quod fit lancibus, si una lantx oneretur ponderibus, altera rebus, ut patefiat, quod latus gravius aut levius. *Attollere*, est *imponere* ad pertentandum, an attolli possit, an quid gravius sit. Quæ est significatio *rei gravissima*, cui nullum pondus æquum aut supe-

superius vel fortius. *Æstiment, inquit, si possint.* וְיִיָּאֲדֹנִים, *simul, κατὰ πάντας.* Gravitationem curarum *ex multitudine metitur, qui omnes simul lancibus imponi, sive æstimari cupiat.* Vocum ponderandi, est indium molis grandis: nec ut cognoscatur, sed æstimetur. Græcorum ἐμοθουμαδόν, alibi, non hic valet. Nec de unanimi agentium consensu, sed *simultaneo rerum sive curarum complexu* hic sermo. *Immensum suum esse dolorem, ait, cui nullum pondus par.* Hæc mens Jobi, & populi in Assyria & Babylonia. Hanc testatur Eliphaso, Aramæo, insultanti, cum Aramæi Israëlitis exprobrarent fata. Non privata res, sed publica & communis.

Pergit tristis: v. 3. *Jam enim præ arena marium ingravescit iste dolor: Quapropter verba mea flagrant.* Augeri suum ait dolorem amicorum insultatione.

עַתָּה כִּי עַל יְדֵי הַדָּן, *Jam enim; Eliphaso insultante, Aramæis Israëlitis infestis, in servitute, quam exprobrarent.*

מִחֹר מִדְּמַיִם ἢ ἢ κερκάλῃ, *Plus quam arena littoralis. Antea pondus, nunc numerus.* Figura similis, nova, pro rei augmento & affectu intensio.

יַמִּים ἀλμυρῶν, *maria salsa. Arena maris pro numero infinito, Auxesis affectui par. Curæ innumeræ, copiosiores fabulo maris. Ægrotudo animorum in Israele, apud Aramæos & Babylonios ingemiscente, ex tædiis infinitis.*

כִּבְרַת κατὰ βρῆθω, *ingravescio, ut pondere, ita & numero. Moles intolerabilis, ex numero sine fine. Hinc in lanibus pondus insuperabile.*

Effectum subjungit doloris immensi: עלכן רכרבי לען τὰρ ἐκεῖνων φεαδίαι με φλέγει, propterea verba mea, primæ orationis æque ac præsentis, ardent, in querela.

וְהֵן suo loco est λαφύσσω, *deglutio, absorbeo.* Esto hic וְהֵן φλέγειν, *ardere, aestuare, pro æstu animi in dolente & lamentante, qualis fuerat prima Jobi & populi oratio.*

Pars hæc apologiæ contra Eliphazum, Aramæum, qui Jobum populumve accusaverat *intempestivi ardoris in querendo*. *Iuste*, inquit, *oratio mea*, c. 3. *flagravit*, præ immensi doloris æstu: *Et flagrat etiamnum*, ardet & æstuat merito, ob dolorem auctum ex Aramæorum insultatione.

Æstus verò *verborum*, partim ex animi dolentis impetu & quadam impatientia, partim ex figuris prægrandibus, sedato animo incongruis.

Hunc *animi* & doloris sui adeoque & *orationis æstum*, nuper & in præfenti, vindicat ex *causa urgentissima*, v. 4.

Nam sagittæ potentis sunt juxta me, quorum *æstum* haurit spiritus meus.

קִי חֵצִים, *sagitta, telum*: De *fulminibus*, quæ telis assimilata.

יְהוָה יִצְחָק אֱלֹהֵינוּ, *dominus*, qui *ἐξουσία* & *potestate* pollet, cui *potestas* ad conficiendum quæ instituit. Quod de *belli ducibus*, qui telis exercitus sui utuntur et armis, & pro analogia de *Deo* dicitur.

עִמָּרִי מִעַרְיָא, *juxta me*, *penes me*, *circa me*; tela undique irruentia, gregatim in unum prolabantia, in unum missa.

Fulminibus se à Deo peti pronunciat cum gente Jobus, *ut tela* in hostem jaciuntur.

Figura ardens, pro rei æstuantis magnitudine. *Providentia* ac *sententia irati Dei*, in Jobo aut populo torquendo. Deum esse offensum populo, eumque per Syros urere vehementer, pariter & per ceteros hostes, imprimis Babylonios. Telorum non esse finem nec modum. *Sensus doloris impensus*, ex sensu iræ divinæ.

אֶשׁ הַחֲמָה, *ὡς ἀπὸ τοῦ καύματος αὐτῶν*, quando *ardorem telorum*, *fulminum*, haurio. Non *veneno* hic locus in telis; sed *calor* & *fervor*, & *igneus candor* in *fulminibus*. Et in telis, ex

ex motu, ignis, & in vulnerum inflammatione, ab effectu.
Figurarum series ignem vehit. Dixerat; *dolori meo impu-
tandum, quod oratio mea flagret.* Ratio æstus in sermone:
Quia sagittæ Dei irruunt, quorum æstum haurit spiritus
meus. Ex æstu telorum æstus animi, ex æstu animi æstus
sermonis. Apologia pro oratione fervida, ex fervente do-
lore, idque ex fervente Dei ira, dolorem immittentis.

שָׁתָה ποτίζουαι, haurio, sorbeo.

רוח ψυχῶν, spiritus, animus.

Haurit pectus hominis aërem æstuantem in tempestate;
inter fulmina, maxime propinqua. Idea terroris, metus,
pavoris, & fluctuantis animi, ut in tempestate dira, ita &
in adversis, qualia populi Israëlitis inter Aramæos, Assyrios,
Babylonios.

Figura penetrans, ex tempestatis æstu, in orationis
æstum, & stylum flagrantem. Spiritus hausit æstum iræ
divinæ ex fati incendio, fundit ergo & sermonem pari æstu
flagrantem. *Qualis animus, talis sermo, talis stylus.*

Repetit eandem doloris causam & sermonis vehemen-
tis: כַּעֲתִי אֵלֶּיךָ παταγοὶ τῆς Μεγαλῆς, fragores Ter Maximi am-
biunt me. Quod de fulminibus, idem & de fulguribus pro-
nunciat, quorum fragore aër impletus, ut audientem cir-
cumstent & perterrefaciant. *Effigies pavoris continui in Jobo,
populo ve ferviente.*

יַעֲרֹכֵנִי ἀετῶν, ἐίργαται με, invadunt, tenent, comprehen-
dunt me. *Fragor fulminum indefinenter corripit me.* Imago
continuorum periculorum, anxietatum & torminum inter
Assyrios & Babylonios.

Hæc Jobi defensio contra Eliphasum, Aramæum, qui
culpaverat Jobum & accusaverat intempestivi clamoris, po-
pu-

pulumque injustæ querelæ. Quæ calida confirmatio
justæ conquestionis.

*Illustrat dehinc v. s. abundantem dolorem, & ex dolore æquum
verborum æstum contra iniquos censores, Aramæos, quorum
nomine Eliphaz. Inde sollicitatio Jobi:*

Num rudit onager in herba?

קִרְיָהּ הֲדֹגְקָא; num rudit? קִרְיָהּ דֹּגְקָא, rudere; quod asinis
proprium.

קִרְיָהּ Βρωμήτωρ, ruditor, asinus, onager.

קִרְיָהּ βλάση, gramen viride.

*Interrogatio per communicationem, est negatio. Non
rudit, ubi in herba degit, dum saturatur gramine. Non opus
anxio rudit, ubi non urget fames. Quod est exemplum
pro sententia: In prosperitate, in rerum abundantia, non habe-
re locum anxium dolorem, & dolore plenum sermonem. Non
vociferari feras in ipso pabulo; deficiente hoc anhelare &
clamare.*

*Quæ est uberior apologia Jobi contra Eliphazum, qui il-
lum insimulaverat clamoris indebiti & iniqui. Respondet:
Casus tristes urgere & extorqueré vocem querulam, quæ
in prosperis non audiatur. Fortunatos, in luxu viventes,
in tranquillitate publica, ridere, non queri. In qua apo-
logia est acerba & obliqua reprehensio Eliphazi, censoris iniqui,
Aramæorum, qui tunc tranquilli, sine dolore, adeoque sine
clamore molesto. Memento, inquit, onagram non rudere
in pabulo. Tute in tranquillitate tua non rudis, censor cla-
mose. Figura, pro acerbitate irritata, non sine aculeo.
Ut dolor justus non caret dente.*

*Junctum & alterum simulacrum ejusdem negotii &
affectus.*

Num mugit bos apud paleam suam?

Inter-

Interrogatio, *negationi* par: Non mugit, dum pabulum in ore.

מִגֵּץ מִוּכָאֵו, *mugio*. תַּוּשׁ תָּאוֹס, *taurus, bos*.
לִבְלִי לֶפֶס, *lepēs, palea, gluma*, folliculus circa frumenti grana, qui trititando deteritur, & in pabulum cedit boum; non interpretum farrago.

Negat bobus mugitum, dum palea in dentibus. Quæ est excusatio mugitus, si desit pabulum. Imago afflictorum, qui vocem edant asperam & amarulentam: Ut quieti ruminent, fruantur, luxurient, vocis austeræ expertes. Nec adeo indignandum fuisse Jobo, & populo, ubi ægrius locuti.

Oblique *Eliphaso* objicit suam tranquillitatem voce בְּלִי, *lepidos*, acutâ paronomasiâ *paleæ*. Aramæos moleste ferre Israëlitis murmura ægra, dum ipsi stipentur fortunæ bonis, sine cura & dolore aut voce tristi. Ferendos esse illos, destitutos, querulos: *Eliphasum* suâ *paleâ* posse à clamore tantisper retineri.

Acris *redargutio* Eliphasi, propter accusatum intempestive Jobum, augetur novo argumento reprehendendi *Eliphasi*, cujus oratio in Jobum *invectiva* sit *insulsa*, v. 6.

Num comeditur insipidum, quod caret sale?

כֹּל אֲנֹכַח, *anochach, consumo*. חֵרֶף אִבְיָלָמֵג, *insipidum, insulsum*; sive de cibo, sive homine.

חֵרֶף אֵלֶּס, *alēs, sal, salsugo*.

Interrogatio, *negativæ* sententiæ. *Non comeduntur insulsa.*

Qui in prioribus figuris gramen & paleam dederat onagris & bobus, jam *Eliphaso* tribuit cibum *insipidum*, quem Jobo obtulerit, *symbolum orationis insulsæ*. Aperta reprehensio *iniquæ* & *infectæ* accusationis, quando Eliphaz Jobum dolentem redarguerat.

):():(

Et

Et dolor Jobi plenus sale, qui falsâ paronomasia *Eliphafum* accusantem appellat תִּפְלָר, ἀβέλπην, sale carentem, cujus investiva in Jobum non sapiat. Quæ & altera aperta allusio, *Eliphaz* בלוי בלוי *absque sale*. Cibus Eliphasi Jobo appositus sale destitutus, oratio falis expers.

Pro copia dictionis, affectu exuberante, eandem incompositam Eliphasi in Jobum fermocinationem *novo* excitat comparationis argumento.

Num est sapor in albumine vitelli? Negatur.

אִם וְשֵׁם עֵם εἰ μὲν ἐστὶ γευστικός. *Num est gustus, sapor?*
רִיר ἀφρός, spuma, albumen οὐσι; quod Judæis aliàs audit חֲלִבּוֹן aut חֲלִבּוֹן, λεύκωμα, *albugo, albumen*.

חֲלִמּוֹת λευκός, *vitellum, luteum οὐσι*.

Salte de *novo* corripit *insulsum Eliphafum*, qui Jobum ob dolorem & angustam vocem damnet. Esse orationem Eliphasi similem *albumini vitelli*, crudo albumini circa vitellum, quod *sine sale*, quod *insipidum*. Salsissima correptio insipidæ in Jobum investivæ, allusione vocis חֲלִבּוֹן & חֲלִמּוֹת *albuminis* & *vitelli* ad nomen *Eliphaz*. Pro voce חֲלִבּוֹן synonymum, pro majori argutia, pro veteri orientis stylo, subornat רִיר, quod Eliphaz esset *Aramæus*.

Posthæc declarat Jobus diferte *animum suum, à sermone Eliphasi*, utpote incondito, *a versum*, v. 7.

Renuit tangere animus meus.

אִין ἀναινώμας, *nego*; Alterum in מ. ut sæpe.

בָּעַט τυγχάνω, *attingo*.

רִפְשֵׁט πνεῦμα, *spiritus, anima*.

Pro allegoria cibi insipidi, testatur Jobus se abhorreere ab Eliphasi fermocinationibus, Jobo adversis, haud aliter ac à cibo insipido, & albumine vitelli, quod sine sapore. Non placere, nec dignam esse investivam responsione,
ut-

utpote iniquam, & absonam, qui Jobo exprobrat sinceritatis professionem, qua illum privare studeat.

Idem justum odium declarat amplius, affini figura.

Illa sunt velut languida pro cibo meo.

אִי־טוֹב אִי־טוֹב אִי־טוֹב, *languidum, rejectaneum.* כָּרוּי נֶאֱמָר
אִי־טוֹב אִי־טוֹב אִי־טוֹב, *ut sunt languida, corrupti in cibo saporis, quæ*
nauseat coenans.

חֲחֵי לֶחֶמָא, *cibus quem lingimus.* חֲחֵי לֶחֶמָא, *lingo.*
Languida, incondita, corrupta, putrida, ad cibum, inquit, meum
inepta. Æque male sapit Eliphasi mensa, oratio in Jobum di-
cta, quæ languet.

Postquam satis abundeque declaravit Jobus animum indignandum ob Eliphasi temeritatem, *redit ad pristinum affectum querulum, v. 8.*

Utinam veniat, quod expeto!

יֵתֵן מִי יְיָ מִי־תֵן מִי־תֵן מִי־תֵן; *quis dabit? Voti formula.*

Quis efficiet, procurabit, ut fiat quod quæro?

בֹּא בֹּא בֹּא בֹּא בֹּא בֹּא, *venio, pro-venio.* תֵּבֵן
אֲתֵבֵן אֲתֵבֵן אֲתֵבֵן אֲתֵבֵן אֲתֵבֵן, *ut veniat, e-veniat, contingat.*

חַנּוּן חַנּוּן חַנּוּן חַנּוּן חַנּוּן חַנּוּן, *obsecratio.* חַנּוּן חַנּוּן חַנּוּן חַנּוּן חַנּוּן חַנּוּן, *ob-*
nixe peto.

Utinam, inquit, fiat, quod est in votis, quod cupio, pro fine doloris obtinendo. Impensissimi doloris verba, primæ orationi consona: Quæ pectore volvunt impatientiæ indicia; quæ extrema petit. Nullus dolor impensus sine aliquo impatientiæ sensu; sine vitio tamen, cum naturam non neget sensus, cupiatque salutem.

Quare repetit votum pro more, mœrore urgente: Spem meam impleat Deus ter maximus!

):():(2

Voti

Voti sensus priori par, pro sensu impatientis ex doloris vehementia. *Spes dura*, pro affectu duro, *malle extinguere*.
מַלְאכָה אַרְגָּוֹנָה, *expectatio*; *agra*, ex affectu aegro; non vitæ, sed mortis.

Desiderium, specietenus iniquum, sed doloris acerbitati æquum atque conforme, pro humano sensu, qui diu sustinere nequit aspera nimis & austera.

In Jobo affectus populi, inter Assyrios & Babylonios misere torti, qui optarent præ misera longa vita brevem mortem. Ex populi conditione & animo hæc omnia, per Jobi prosopopœiam. *Indignationis ex dolore impetus optat, quæ non capit, privatque voti sensu.*

Quare sequitur ægerrimum exitii desiderium, v. 9.

Quam placeat Deo, ut me occidat.

לְמַעַן יִשְׁלַח יְדָי וְיִמָּוֶת. *Quam velit, utinam vellet!*

נִסְתִּי אֶרְעֶינָה, אֶפְרָעֶינָה, *occido, neco*. Aliàs est מִיָּדָה, *contero, comminuo*. Clarius de ipsa cæde.

Deo datur, quod illo permittente, aut instruente, providente, accidit. *Utinam*, inquit Jobus & populus, Deo ita volente, cæsi essemus, aut cæderemur, pro miseræ fine! Quod solet esse refugium inquieti animi.

Fortius idem precatur: *Urgeat manum suam, ut me discindat*. Maturari cupit finem funestum.

וְיִמְצָא יְדָי אֶרְעֶינָה, אֶפְרָעֶינָה, *urgeo, impello, protrudo*.

וְיִמְצָא יְדָי אֶרְעֶינָה, *Urgere*, propellere dextram ad cædem Jobi, est *accelerare funus, Dei manu ferali*.

וְיִמְצָא יְדָי אֶרְעֶינָה, *vulnere, vulnus infigo*.

Vulnerari, aut vulnere inficto interimi cupit divina manu, sive Dei providentia & nutu, per hostes, quales erant Assyrii, Babylonii. Urens dolor præfert mortem subitam & violentam, ab hoste illatam, asperæ vitæ. Hic affectus exulis populi, Jobi ore.
In-

Inquietudo porro animi, ex subito interitu sineque mali simultaneo solatium quærit, *ו*, 10.

Sic adhuc erit solatii quid, ubi enectus in genua subsidam in dolore, quando mihi in cæde infligenda non parceret.

רַע זָה, adhuc, formula residui brevis solatii in immutabili malo, brevi tollendo per subitam mortem aut cædem, ab hoste illaram.

נַחֲמָה ἀνακουμιδὴ, refocillatio, animi placamentum in molestia.

סָרַח δαλάζω, in genua procumbo, flexis aut submissis genibus subsido, labasco, succumbo. נִכְרַח עַם אֶבְרָהָם אֲנִי, si collabascam.

חִלָּה אֲלֹגוֹס, dolor, mæror, tristitia, molestia. חִלָּה אֲלֹגוֹס, doleo, animo vel corpore.

חִמַּךְ מַעֲלִיטָה, מַעֲלִיטָה, mitigo, mollio. לֹא יִחְמַר אֱלֹהִים מַעֲלִיטָה, quando non emollietur, Deus, in cæde inferenda.

Æstuantissimi doloris sensus, sensu exui, & ut propere sit longi doloris finis, simul & semel ultimum intensissimum dolorem experiri velle. Solutium in summo mæroris cumulo ex proximo & certo molestiæ sine. Quæ solatii persuasio ex intolerabilis doloris exitu propinquo. Impatientiæ vestigia, votum dirioris mali, sed brevis, in vitæ termino, hostili manu præcipitato. Qui affectus populi Israëliti sine modo quassati.

Finem mali definit, ex cæde divinitus infligita, de qua versu præcedente. Quam cupitam & expectatam à Dei manu necem hic appellat pathetice, post vulnus lethale divino nutu & manu infligatum, ruere in genua & collabescere, nervis sic solutis & halitu ultimo expirante, mediusincken/

): () : (3

ntes

niederschlagen/ niedersfallen. Quod Jobus de se, id populus in Jobo, præ terminandi doloris æstuante ac impatienti cupidine pronunciat. Imago gentis, exitum exilii in sui exitio maturo, præ impatientia, voventis.

Dolor, inter concidendum, à Jobo hic nominatus, non est præsens, ex vulnere, sed *longus ille prior, præcedens*, qui divina manu terminetur.

Inclementem Deum isto iſtu cupit, qui animum non mutet, inter ferendum, sed pergat, cædemque in Jobo absolvat. Quod *inclementiæ divinæ desiderium* est impatientis animi æstus, dum optent Israëlitaë in duro exilio, per Assyrios & Babylonios confodi potius, quorum manibus malint succumbere, quam tantopere torqueri in servitute. *Immites & immisericordes* precantur hostes, unâ cæde, quàm *crudeles* longâ carnificina.

Crudelis voti vehementia aucta amplius *lubentis devotionis declaratione*, aut patientiæ illius cruentæ asseveratione:

Nam non repugnabo decretis illis sanctissimi.

כִּי־אֶפְסֶה לְעִוְבֹתָי וְלִמְצֻוֹתָי אֶפְסֶה, nego, rejicio, abnuo, arguo, reprehendo.

אֲמַר יְהוָה אֱלֹהֵי אֲדָמָה וְאֲדָמָה אֲמַר יְהוָה אֱלֹהֵי אֲדָמָה, effata, decreta, Dei summe venerandi ac suspiciendi.

Quæ est contestatio de *summa animi lubentia*, in admittenda illa, de cæde Jobi aut populi, *sententia divina*.

Dicit Jobus & populus, se nullo modo refragaturos Deo, sententiam illam feralem dicenti, & finem mali exitio gentis facienti. Quæ *ultimæ patientiæ pollicitatio*, est *summe impatientiæ indicium*, præ finiendi præsentis longi doloris ardentissima cupiditate. Maturari cupit & semel cumulari, ut æquo animo *ultimò* toleretur, quod *lente & diu ægerri-*
me

me sustinendum, in sæva Assyriorum & Babyloniorum ser-
vitate.

Causam irpetuosi voti mox addit, quando intolerabilem molestiam longam pronunciat Jobus & populus, v. 11. quam diutius sustinere nequeant, viribus jam exhausti, quibus tandem omnino sit expirandum.

Quantillæ adhuc sunt vires meæ, ut vitam sperare ausim!
כחן כחן מים מים מים מים, quod robur? quæ vires meæ!
חן האתלפזו spero.

Spem longioris vitæ, in tantis molestiis, in exiliis turbinibus, & servitutis mole, qua premantur, negat. Interrogatio flebilis, est negatio reliqui, præter pusillum. Eaque disertæ demonstratio virium exhaustarum; Quæ imbecillitas gentis & fortunæ tenuitas sub Assyrio & Babylo-nico jugo, jam tum minetur genti propinquum interitum.

Spes exilis fati melioris & in patriam reditus, pro veteri promissione, declarata tristi ore, est præ impatientia desperabundorum affectus. Quid sperem? Est, parum superest spei; non abjecta mente, tracta tamen & subdu-bitante. Parva, inquit, reditus in patriam spes affulget, tam sumus attriti.

Idem hæsitabundi animi, & spem parvam sibi pollicentis, argumentum repetitur, pro more, ex affectus æstu, qui idem bis terve enunciat:

Quæ est constitutio mea, ut prolongem vitam meam?

VP זע, constitutio & habitudo corporis. Non finis hic in voce, etsi in re. Respondet VP præcedenti חן, utroque de corpore sumto, ejusque viribus. Debilis, inquit Jobus, & in illo populus, jam sum, & adeo infirma constitutione, ut exigua superfit vitæ spes longioris.

אמר

ἡ μακροβία, *prolongo*. Prolongare vitam, prorogare annos, pro comparatione morbi & fortunæ, est fortunæ reliquæ spem habere, redire ad priorem felicitatem, in patria, in regno, in Israël. Hæc illa *vita*, quæ in Jobi & populi oculis, animo & pectore, *gloria prioris regni*. In exilio extinctum iri gentem, metuit Jobus & populus. Hoc pectus Israël, in Assyria & Babylonia defetiscentis.

Hæc *ultimâ* diximus in Collegio *publicâ* hujus anni horâ.
Hic fatis, pro indicio, quæ *interpretationis nostræ* sit facies, indoles, anima, sensus & vita, in lucem Fontium, & posteritatis emolumentum. *Scr. in*
Academia Julia, sub finem Decembris
A. MDCCXIV.





Fd 1275

X 236 6362

VD 17

17





5a

HERMANNI von der Garde
Decani
ISRAELIN JOBO
Cap. VI.

ex publica recensione

in Academia Julia

menſe Decembri

A. MDCCXIV.

Formatâ fontium hebraicorum pronunciatione

accentuum indicio

ex Ciceronis & Quintiliani

inſtitutione.



HELMSTADII,

TYPIS GEORG-WOLFGANGI HAMMII, Acad. Typogr.